PLATONIS
CRATYLVS
GRAECE ET LATINE
ANNOTATIONIBVS
CRITICIS ET GRAMMATICIS
ILLVSTRATVS

PARTICVLA TERTIA
ORATIVNCVLIS LATINIS QVATVOR
IN SCHOLA THOMANA
A. D. XVIII. APR. A. C. CIƆIƆCCLXXXXIII
HORA VIIII. MATVTINA
HABENDIS
PRAEMISSA
AB
RECTORE RELIQVISQVE MAGISTRIS

KON. PRAGYMNASIUM AU DÜSSELDORF

1793.

Fischer J. W.

Doubl

LEIP
11 (1793)

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Q. B. V

Hermogenes igitur quum significasset Socrati, Cratylum in ea versari sententia, vt putaret, nomina rerum, atque adeo personarum, esse naturalia, non arbitraria, et Graecos non minus, quam barbaros, omnino omnes in iis ponendis rectam quandam rationem, quam non inepte vno verbo *rectitudinem* [1] cum Cornario dixeris, esse sequutos: ostendit eidem, se quaesiuisse ex homine, verene caderent in vtrosque, et in ipsum, et in Socratem, nomina, quibus ab omnibus Athenienſibus, et Graecis, ap-

1. Nomina enim Graeca in syllabas ότης desinentia a Latinis veteribus reddita sunt nominibus, quae, non modo syllabae *itas*, et *ities*, vel *itia*, sed etiam syllabae *itudo*, terminarent; quippe quae grauiora, maiorisque dignitatis, esse arbitrarentur: quod genus *duritudo*, *sanctitudo*, et alia. vid. Gellius NN. AA. 17, 2. extr. Maximam vero nominum huius figurae partem in paucis illis scriptorum Latinorum veterum libris, qui ad nostram peruenere aetatem, frustra quaeri, quis miretur?

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

appellarentur. Cratylum autem ait interroganti ita respondisse, vt affirmarit, nomina illa in vtriusque personam plane conuenire. Plato enim Hermogenem de rebus praeteritis loquentem, tanquam de praesentibus, facit: id quod vel interiectae voces ἔφην ἐγώ, et ἦ δ' ὃς, satis declarant: cum vt verba ἐρωτῶ, ὁμολογεῖ, et reliqua, verbis Κρατύλος φησὶν ὅδε, quibus idem Hermogenes paulo ante vsus est, accommodata reperiantur, tum quia omnino ea, quae facta sunt, ita, vt nulla eorum intercesserit commutatio, cogitari, vt ea, quae vsque fiant, possunt. Et vt pronomen ἐγὼ verbo ἐρωτῶ subiunctum est, non modo vt incisum ipsum suis constaret numeris, sed vel maxime propterea, vt pronomen ὁ δὲ, hoc est, ὅτος δὲ, *at ille* [2], quod in altero inciso est, haberet, quo referretur; vt e particulis εἰ — ἢ ἄ, vel εἰ — ἢ μὴ [3], particulas Latinorum *vtrum*, vel *ne* — *annon*, vel *nec ne*, expressas esse apparet: ita τῇ ἀληθείᾳ in promtu est fungi vicibus adverbii ἀληθῶς. Quem quidem sexti nominum casus vsum vetustissimi Graeci accepisse ab Hebraeis videntur. Horum enim lingua quum aduerbiorum inopia laboraret: instituerunt ei, pro solertia sua, ita mederi, vt pro his orationis partibus nomina, vel addita particula ב [4], vel ea

2. Hesychius: Ὁ δέ· — ὅτος δέ. Gloss. vett. Ὁ δὲ *At ille*.

3. Vid. Apol. Socr. c. 1. extr.

4. Vt בחזקה Ion. 3, 8.: quod οἱ ὁ reddidere aduerbio ἐκτενῶς, vt Iudd. 8, 1. aduerbio ἰσχυρῶς. nam κραταιῶς, quod ibi Alex. Ald. Compluf. Oxon. habent, ab alio quodam interprete profectum esse videtur. Lucas Actt. 26, 7. dixit ἐν ἐκτενείᾳ. Vid. Noldius Concordantt.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ea omissa [5], ponerent. Hoc igitur elegantiae Hebraicae exemplum imitati Graeci, ipsi quoque nomina aduerbiorum partes ita agere iusserunt, vt, vel comitem haberent praepositionem ἐν [6], vel societate eius carerent. [7] Iam quum e nominibus adiectiuis in syllabam υς, vel ος, desinentibus, effingi constet deminutiua nomina, quae syllabis ύλος terminentur [8]: facile intellectu est, κρατύλος esse nomen deminutiuum, quod originem nomini κρατὺς debeat suam, vt αἰσχύλος nomini αἰσχὺς, non αἶσχος, vt Hemsterhusius putabat,* θρασύλος nomini θρασὺς, aliaque aliis nominibus. Nomen autem κρατὺς, quod iam Homeri carminibus [9] insertum esse nouimus, non modo signi-

dantt. particc. Hebrr. v. ב n. 1. p. 139. s. Timp.

5. Vt בְּטַח Gen. 34, 25.: vbi οἱ ὁ habent ἀσφαλῶς· Aquila πεποιθότως, vt Deut. 12, 10. Vid. Noldius d. l. p. 163. Sic pro ἐν δόλῳ Marc. 14, 1. apud Matthaeum c. 26, 4. legitur δόλῳ.

6. Vt ἐν δίκῃ *vere, recte*, Cratyl. 32.: ἐν δίκᾳ *iure, recte*, apud Pindar. Nemeonn. 5, 25.: quod Aeschylus Eumenn. 221. dixit ἐνδίκως. Sic ἐν ἀλαθείᾳ est apud Pindar. Olympionn. 7, 126.: et ἐν τάχει apud Sophoclem Aiac. 816.: vbi schol. ἀντὶ τοῦ ταχέως.

7. Vt δρόμῳ *celeriter* Cratyl. 16.: ἀνάγκῃ *inuite* Hom. Odyss. α, 154.: κόσμῳ *modeste* Herodot. 8, 67.: qui idem 3, 1. ita dixit τῇ ἀληθείᾳ, vt ταῖς ἀληθείαισι Sophocles apud Clem. Alex. Protrept. p. 48. B, et Strom. 5. p. 603. B Colon.

8. Vid. schol. Theocriti ad Idyl. 3, 7., cuius obseruatione Lexicon suum auxit Phauorinus v. ἐρωτύλον· in quo tamen post verba καὶ τοῦ perperam omissum est nomen ἴτυλος, et ante nomen τὸν ἔρασὴν verbum λέγομεν sine caussa additum. Sed apud scholiasten ipsum quin pro ὄξυνος reponi debeat ὄξυλος, vix dubitari posse videtur. Caeterum docere nihil attinet, Latinis placuisse Graecos hoc quoque in genere imitari. Quis enim nescit, a nominibus *tristis*, et *turpis*, et *fortis*, verbi caussa, ducta esse deminutiua nomina *tristiculus*, et *turpiculus*, et *forticulus*, ab aliis alia?

* ad argum. Pluti Aristophanei p. 6.

9. Vid. Il. π', 181. ω, 345. Odyss. ε, 49. 148.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ſignificaſſe videtur *viribus*, et corporis, et animi, *valentem*, *robuſtum*, *fortem*[10], et *poteſtate*, *imperioque*, *praeditum*, dominum[11], ſed etiam ad hominem, qua hominem, ita eſſe tranſlatum, vt declararet *continentem*, hoc eſt, eum, qui cupiditatibus, et commotionibus animi, et corporis voluptatibus, imperat, atque dominatur, quem Graeci philoſophi ἐγκρατῆ vocant, atque opponunt ἀκρατεῖ *incontinenti*, id eſt, ei, qui voluptatibus, et libidinibus, et perturbationibus, ſeruit, ac paret. Quia igitur Cratylus, amicus Hermogenis, ſibi quidem quodammodo, et aliqua ex parte, continens eſſe videbatur, ſed Socrates plane, et omnino, talis reperiebatur, ita, vt ſtudium continentiae conſtanter ſeruaret[12]: propterea ille, cum in ſemet, tum in Socratem, conuenire ait nomina, quibus appellentur vtrique vulgo, quod naturam ipſorum, et proprietates, quibus agnoſcantur ſemper, et ab aliis Athenienſibus omnibus facile diſcernantur, indicent, ita, vt naturalia poni, non arbitraria, debeant. Nam verbum ὁμολογεῖν hoc quidem loco a verbo φάναι vix differt[13]: et particula δαὶ ab Atticis[14], eorum-

10. Schol. min. ad Il. π', 181. κρατύς· κρατερὸς, ἰσχυρός.

11. Heſychius, et ex eo Phauorinus: Κρατύς· ἄρχων, ἐξουσιάζων.

12. Scilicet nomen Σωκράτης videtur conflatum eſſe e nominibus σῶς, et κρατὺς ſ. κρατὴς, ita, vt ſignificet hominem *perfecte continentem*, aut extitiſſe e nomine σωσικράτης· vid. Etymol. M. v. ἀσύφηλος p. 160. 43.: quo homo *continentiae ſeruans* indicaretur. Eſt enim hoc nomen ſimile nomini σωσθένης.

13. Similis locus eſt apud Aeſchinem Socr. Eryx. 9.

14. Vid. Ariſtoph. Auu. 64. 825. 1451. 1614. 1639. 1675. Veſpp. 1207. Pac. 924. 1223. Theſmophorr. 147.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

rumque imitatoribus, ita vſurpari in interrogationibus ſolet, vt diphthongo ſcripta in libris eorum integris, neque recentiorum librariorum inſcitia corruptis, inueniatur, etiam Ammonio, aliiſque grammaticis diligentiſſimis, auctoribus[15], quo facilius ſcilicet a particula δὲ, quae connectendae orationis vim habet, diſtinguatur. Certe huius quoque dialogi in exemplaribus manus ſcriptorum ſcripturam iſtam veterem, nunc intactam reliquere[16], nunc commutare altera auſae ſunt.[17] Ἦ δ' ὃς autem Plato pro ἔφη δὲ ὅτος[18] ita dixit, vt δὲ, non redundaret, immo eſſet, non tam copulatiua, quam potius relatiua, particula. Intellegi ſane ſic facile poteſt, quare formula illa in libris Platonis, aliorumque Socraticorum, orationi alterius eorum, qui colloquentes inter ſe inducuntur, vel interiecta, vel poſtpoſita, compareat[19], vt verbum *inquit* in ſermonibus Ciceronis: etſi non ſum neſcius, fuiſſe iam inter veteres grammaticos, qui quaererent, ſcribendumne eſſet ἦδ' ὃς, an ἦδ' ὃς, vel ἦδ' ὅς[20], ita, vt δε eſſet ſyllaba aduenticia. Et quum philoſophus ſoleat huic for-

147. Aeſchyl. Choëphph. 900. Conf. ad Plat. Criton. 10, 14. et ad Aeſchin. Socr. 1, 1. 6.

15. Vid. ad Plat. Euthyphr. 4, 3.

16. Vt c. 9. 14. 23. 40.

17. Vt c. 4. 17. 21. 24. 40.

18. Etymol. M. p. 416. Ἦ δ' ὅς· οἱ μὲν περὶ Ἐρατοσθένην ἀντὶ τοῦ ἔφη δὲ ὅτος· διὸ καὶ δασύνει τὴν ἐσχάτην· ἐντεταχθαι γὰρ ἄρθρον τὸ ὅς· καὶ ἡ δὲ ἀντὶ τοῦ ἔφη δέ. Apollonius Dyſcolus in Grammat. inedita apud Koenium ad Gregor. de diall. p. 61. καὶ [ὃς] ἴσον τῷ ὅτος παρὰ Ἀττικοῖς· ὡς Πλάτων, ἦ δ' ὃς ἀντὶ τοῦ ἔφη δὲ ὅτος.

19. Vid. Etymol. M. v. ἦ p. 414. f. et ſchol. Ven. ad Hom. Il. α, 219. Conf. ad Phaedon. 5, 4.

20. Vid. Sextus Empir. c. mathematit. 1, 3. p. 229. Fabric. Heſychius: Ἦδ' ὅς· ἔφη ὅτος.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

formulae ſaepenumero adiicere nomen perſonae, ad quam pronomen ὃς pertinet, ita, vt, vel praeeat, vel ſequatur [21]: reperiri profecto ſponte a lectoribus cauſſa poteſt, cur Hermogenes paulo poſt dicat, ὁ δὲ, id eſt, *at ille*, Cratylus, Οὔκουν σοί γε, ἦ δ' ὃς, ὄνομα Ἑρμογένης [ἐςὶν], praeſertim quum nec per leges ſtructurae membrorum orationis pronomen ὁ δὲ, quod referatur ad verba ἔφην ἐγώ, quae poſt interrogationem hominis, οὐκοῦν καὶ τοῖς ἄλλοις — ἑκάςῳ ὄνομα; id quod ipſe Ficinus [22] praeclare vidit, intellegi debent, abeſſe recte poſſit. Caeterum idem ille Ficinus, qui huius quoque dialogi verba Graeca ſingula fere Latinis verbis ſingulis, pro ſuo diligentiae ſtudio, reddidit, pauculos illos verſus, quorum ſententia hactenus a nobis eſt breuiter demonſtrata, conuertit hunc in modum, *percontor itaque ipſum, num reuera Cratylus ſit eius nomen? Ipſe fatetur.* Atqui dubitari nullo modo poteſt, quin doctiſſimus ille, et ſolertiſſimus, Platonis interpres ſuo in codice, neque particulas ἦ δ', neque verba αὐτῷ [23] γε τοῦτο ὄνομα εἶναι, quae tiam Hopperus in exemplo Baſileenſi ſecundo, Arlenii puta codicum auctoritate, iuſſit ab operis omitti, neque Serranus expreſſit Latine, inuenerit. Etſi enim verba

21. Vt Phaedon. 14. 18. 25. Vid. Koenius ad Gregorium de diall. p. 61. et Hogeuenius ad Viger. idiomm. 2, 1. 32.

22. Verſio viri Latina habet, *Nonne caeteris omnibus, inquam, id eſt nomen, quo quemque vocamus?*

23. Ita ſcriptum legitur in Ald. et Baſ. 1. Stephanus reſcripſit, ſine cauſſa idonea, αὐτῷ, vt paulo ante αὐτῶν pro αὐτῶν.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

verba illa omnia abeſſe, ſalua perſpicuitate, et videmus facile, neque inuiti fatemur: tamen quum non videantur eſſe a grammaticis, nedum a librariis, neque adiecta, neque ſublata, eorum auctorem eſſe arbitramur ipſum Platonem, qui ea, in iterata huius quoque dialogi recenſione, addiderit, cum vt perſpicuitatem adiuuaret, tum vt auribus recitantium eruditis, orique liberali, ſeruiret, atque adeo verba huius orationis particulae verbis ſequentis particulae magis quaſi coagmentaret. Etenim, verbis αὐτῷ γε τοῦτο ὄνομα εἶναι ſublatis, τί δαὶ Σωκράτει; dictum putari debet pro τί δαί; Σωκράτει τῇ ἀληθείᾳ ὄνομα Σωκράτης ἐςίν; Haec vero interrogationis forma abhorret ab conſuetudine diſſerendi Platonica: neque Cratyli reſponſio tum omnino congruens, et apta, quaeſtioni ab Hermogene propoſitae reperitur. At, ſeruatis verbis illis, poſt verba τί δαὶ Σωκράτει; e ſuperiore Cratyli oratione intellegenda eſſe apparet verba ὄνομά ἐςιν, ita, vt, et Hermogenis interrogatio ad ingenium Platonis, atque ſtylum, conueniens cernatur[24], neque Cratyli reſponſio ab ea vllo modo diſcrepet. Atque hanc ipſam ob cauſſam ſcripſiſſe Plato τοῦτο ὄνομα, non τοῦτο τὸ ὄνομα, videtur. Quod quidem fieri ab eo recte potuit, quum, neque aures, atque os, hac ſcriptura magnopere offenderentur, neque leges linguae ipſae vllo modo violarentur, quippe quae ſinerent nomina, quae pronomen ὅτος ſequuntur, ſic articulo priuari.[25]

Quum

24. Vid. c. 14. 23. 24.

25. Vid. c. 17. extr.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Quum igitur Cratylus Hermogeni dediſſet, nomina, quibus, et ipſe, et Socrates, ab omnibus ciuibus appellarentur, in vtrumque plane conuenire: Hermogenes videbatur ſibi inde, ſed haeſitans tamen, collegere poſſe, omnium aliorum hominum nomina, quae impoſita eſſent cuique ab ciuitate aliqua, in eos vere cadere. Nam particulae ὀκῶν, et ὄκων, differunt inter ſe ſic, vt ὀκῶν proprie ſit *nonne igitur*, ſed ὄκων *non ſane, non certe*:[26] quam earum differentiam hic quidem Platonis locus ſatis declarat. Quanquam enim verba καὶ τοῖς ἄλλοις[27] πᾶσιν, quae in exemplo Aldino, Valderianoque, et Stephaniano, leguntur, in hac tali orationis ſerie non accipi, niſi de hominibus, poſſunt, ita, vt nomen ἀνθρώποις, quod verbis τοῖς ἄλλοις πᾶσιν interiectum exhibetur in editione Hopperiana, a Stephano inde in margine exempli ſui repetitum, et in verſione Serrani Latina redditum, grammaticorum manibus deberi videri poſſit: tamen quum, eo in ordinem recepto, oratio ipſa plenior exiſtat, et numeroſior, et auribus tritis gratior, atque adeo dilucidior; quum Platonem conſtet plurimum curae in perficiendis, perpoliendiſque, libris ſuis etiam ita collocaſſe, vt concurſus verborum, neque aſper, neque hiulcus, immo coagmentatus, et laeuis, reperiretur; quum Plato Cratylum deinceps dicere iubeat ὀδ' ἂν πάντες καλῶσιν ἄνθρω-

26. Vid. Hogeuenius in doctrina partic. Graec. c. 38, 3. 2.

27. Οἱ ἄλλοι ſunt *reliqui*, οἱ λοιποί. Vid. index Graecit. Aeſchin. v. ἄλλος.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ἄνθρωποι, quibus verbis petatur quodammodo Hermogenis collectio: auctorem dialogi ipsum arbitror addidisse in editione eius altera nomen ἀνθρώποις, ita, vt nec nos dubitarimus eo, post Hopperum, philosophi sermonem augere. Ἕκαςον autem, vt ἑκάςῳ, ad ἄνθρωπον pertinet: et formula καλεῖν τινα ὄνομα[28], vel καλεῖν τινι ὄνομα[29], Plato vtitur sic, vt significet *appellare aliquem nomine, vsurpare de aliquo nomen*: cuius quidem diuersae constructionis caussa in eo posita censenda est, quod verba ὄνομα καλεῖν vicem verborum ἀποδιδόναι ὄνομα, vel verbi ὀνομάζειν, explent.[30] Certe alio huius dialogi loco[31] philosophus formulam ὄνομα ἐπονομάζειν τινὰ ita vsurpauit, vt idem valeret, quod ἐπονομάζειν, hoc est, ὀνομάζειν, τινά. Iam quum Cratylus nosset, alia personarum nomina esse naturalia, quae naturam earum, atque proprietates, referrent, alia non item: propterea amico suo, qui putaret, nomina quaeque conuenire in eos, quos alii illis nuncuparent, ea de re quaerenti ita respondit, vt contenderit, nomen Ἑρμογένης in ipsum quidem nullo modo cadere[32], nec si ab omnibus eo hominibus appellaretur. Hoc enim nomen proprie *Mercurii progeniem*, eum, qui

 de

28. c. 18. init. ἅττα [ὀνόματα] ποτὲ ἑαυτὰς καλοῦσι.

29. c. 3. extr. ἐμοὶ μὲν ἕτερον εἶναι καλεῖν ἑκάςῳ ὄνομα.

30. Vid. Prolusf. de vitiis Lexicorum N. T. 14, 4. 1. p. 347.

31. c. 22. p. 41.

32. Nam post verba ὄνομα Ἑρμογένης verbum ἐςὶν intellegi debet, et καλῶσι simpliciter dictum est pro καλῶσί σε τοῦτο· id quod iam Ficinus vidit, cuius in versione Latina est, *Ille, non tibi tamen, air, Hermogenes nomen est, neque etiamsi omnes homines te ita vocarint.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

de genere Mercurii eſt, ſignificauit.[33] Sed quia Mercurius ſermonis, eloquentiaeque, inuentor, et mercaturae, atque adeo lucri, quaeſtuſque, praeſes, credebatur eſſe[34]: Ἑρμογένης dictus eſt, cum *diſertus*, *eloquens*, is, qui facultate dicendi, et differendi, valet, tum *opulentus*, *diues*, is, qui fortuna fautrice vtitur in re inuenienda, in collegendis copiis, et facultatibus: cuiuſmodi hominem vernacula quoque lingua *ein Glückskind* nominat. Hermogenes autem, familiaris Cratyli, neque diſertus repertus eſt, vt fatetur ipſe paulo inferius[35], neque locuples, Socrate quidem auctore.[36] Itaque nemo facile mirabitur, Cratylum negaſſe, hoc amici ſui nomen eſſe naturale. Ipſe vero Cratylus quum huius ſuae de ſuo, et Socratis, et Hermogenis, nomine ſententiae nullam attuliſſet rationem, neque adeo demonſtraſſet, quanam in re poſita eſſet naturalis illa nominum rectitudo: oſtendit Hermogenes Socrati, ſe interrogaſſe neceſſarium illum ſuum, atque ſtudioſe id egiſſe, vt cognoſceret, quamnam ipſe diceret naturalem nominum rectitudinem, quae, et Graecis, et barbaris, omnino omnibus eſſet communis. Huc enim ſpectant verba καὶ ἐμοῦ ἐρωτῶντος — ὅ, τι ποτὲ λέγει. Ἐρωτᾷν vero eſt hoc quoque loco *interrogare*, non *obſecrare*, vt Ficinus[37] putaſſe videtur: haec enim verbi ſignificatio eſt,

33. Vid. c. 39. p. 78. ſ.

34. Vid. Phurnutus N. DD. c. 16. Diodorus Sic. 5. p. 341. ſ. To. 1. Rhodom., et infra c. 23.

35. Vid. c. 23.

36. Vid. c. 1. extr. et c. 11.

37. Verba Latina, quibus reddidit Ficinus Graeca Hermogenis verba, haec ſunt, *dumque obſecro, vt ſciſcitanti mihi, quidnam dicat, aperiat,*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

eſt, cum a mente differentis aliena, tum ſcriptoribus huius aetatis incognita, ab quibus illud non aliter vſurpatum eſſe, niſi ſic, vt idem declararet, quod verbum πυνθάνεσθαι, iam Hermogenes rhetor tradidit[38]: et προθυμεῖσθαι dicuntur ii, quibus ineſt magna alicuius rei cupiditas, ſtudiumque ingens, qui auent aliquid, atque geſtiunt, cognoſcere, audire, videre, agere, facere, ita, vt προθυμεῖσθαι εἰδέναι ſit *auere cognoſcere*, *geſtire ſcire*.[39] Nam εἰδέναι, quod grammaticorum veterum, alii pro εἰδηκέναι, vt εἰδὼς pro εἰδηκὼς, dici docuerunt[40], alii praeteritum medium eſſe praecepere[41], fieri poteſt, vt ductum ſit a forma praeſentis εἴδημι, cuius vſum, et optatiuus εἰδείην, et figura participii Aeolica εἴδεις[42], loqui, teſtarique, videtur. Denique vt particula ποτὲ pronomini ὅ, τι adiuncta particulis Latinis *nam*, et *tandem*, vernaculiſque *wol*, et *denn wol*, reſpondet: ita verborum ὅ, τι ποτὲ λέγει ſenſum ex iis, quae paulo ante dicta ſunt, facile intellegitur eſſe hunc, *quaenam ſit*, *et qualis*, quanam re contineatur, *naturalis* illa, quam ipſe dicat, *rectitudo*, *quam ciuitates ad vnam omnes*, et Graecae, et barbarae,

riat, nihil prorſus declarat. Sed verba *ſciſcitanti mihi* eum apertum eſt reſpondere iuſſiſſe verbis προθυμεμένε εἰδέναι.

38. περὶ μεθόδε δεινότ. c. 3. p. 519. Laurent. Vid. Proluſſ. de vitiis Lexx. N. T. 31, 5. 104. p. 707.

39. Vt Theaet. 24. p. 152. Nam apud Xen. Cyrop. 4, 2. 18. aduerbium προθύμως idem eſt, quod πολλῇ σπεύδῃ ibid. ſ. 19.

40. Vid. Euſtathius ad Il. ξ p. 981. 27. Rom. et Phauorinus v. εἰδέω, εἰδῶ.

41. Vid. Etymol. M. v. εἰδύιησιν, et εἰδῆς, p. 296. Sylb.

42. Vid. Heraclides Alexandrinus apud Euſtathium ad Odyſ. ὁ p. 1787. 43.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

barae, *in nominibus rebus ponendis sequantur, atque teneant, et cur adeo nomina* Κρατύλος, *ac* Σωκράτης, *in vtrumque conueniant, nomen* Ἑρμογένης *in memet non item.* Hermogenes vero quum percontatus esset ea de re Cratylum frustra: conqueritur iam apud Socratem de hac vrbana inhumanitate amici sui, qui ipsius cupiditatem honestam, liberalemque, non sedauerit, immo magis etiam excitauerit eo, quod ostenderit, se versare secum in animo sumtionem aliquam, qua cognita ipse concessurus esset sine vlla dubitatione in suam de recta nominum ratione sententiam. Etenim ἀποσαφεῖν ὀδὲν *nihil plane, et perspicue, dicere* est *nihil docere*, quod alio huius dialogi loco [43] dicitur ὀδὲν σαφὲς λέγειν, sed formulae σαφὲς λέγειν ibi ita opponitur formula ἀσαφῶς λέγειν, vt hoc loco verbum ἀποσαφεῖν explicatum legitur verbis σαφῶς εἰπεῖν. [44] Iam vero constat primum, Platonem quoque pro verbis simplicibus saepenumero posuisse, aurium maxime caussa, verba e praepositione ἀπὸ composita, vt ἀποσφάττειν pro σφάττειν [45], ἀπομιμεῖσθαι pro μιμεῖσθαι [46], alia pro aliis [47]: deinde, qui aliquem docere aliquid velit, eum in promtu est oratione vti debere plana, et dilucida. Atque hanc ipsam ob caussam, non modo verbum ἀποσαφεῖν ita vsurpatum inuenitur, vt esset *prodere, arguere, indi-*

43. c. 39. init.

44. Hesychius: Σάφα· σαφῶς, φανερῶς, λαμπρῶς. Gloss. vett. Σαφῶς *Euidenter, plane, aperte.*

45. Euthyphron. 4. coll. 1. ep. Ioh. 3, 12.

46. Cratyl. 38.

47. Vid. Prolusf. de vitiis Lexx. N. T. 5, 3. p. 127.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

indicare [48], ſed etiam verbum διασαφεῖν, quod ipſe Plato in Protagora [49] verbo ἀποσαφεῖν commutauit, cum *docere* ſignificat apud Symmachum [50], librorum V. T. interpretem Graece doctiſſimum, tum de iis ponitur, qui *interpretantur*, et *explicant*, aliquid , vel omnino aliquid *nunciant* [52], *referunt, narrant* [53], *ſignificant.* [54] Sed quemadmodum Graeci duo inciſa particulis ὅτε, et τὲ, coniungere conſueuere [55]: ita nec Latini dubitarunt, eorum auctoritate, idem genus conſequutionis particularum *neque*, ac *et*, in libris ſuis ſaepenumero vſurpare. [56] Iam εἰρωνεύεσθαι proprie quidem dicuntur ii, qui ſimulant aliquid, vel diſſimulant: ſed ſimulatores non minus, quam

48. Suidas: Ἀποσαφῆντες· διαρρήδην κηρύττοντες. Οἵ τε ὀφθαλμοὶ Ἰσιδώρᾳ τὸ τῆς διανοίας εὔτροχον ἀποσαφῆντες.

49. p. 297. Baſ. 2.

50. Iob. 34, 32. אתה חזני: quae verba οἱ ὁ verterunt σὺ δεῖξόν μοι ſed cod. Alex. habet σὺ διδαξόν με· quae videntur eſſe verba Aquilae, aut Theodotionis, ab interprete Latino vetere reddita, *tu doce me*: Symmachus autem vſus eſt verbis σὺ διασάφησόν μοι.

51. Deut. 1, 5. החיל משה באר את־התורה הזאת: quae verba in verſione ſeptuagintauirali ita explicata leguntur, ἤρξατο Μωϋσῆς διασαφῆσαι τὸν νόμον τοῦτον. Verſio Latina vetus habet, *coepitque Moſes explanare legem.* Gloſſ. vett. Διασαφῶ — *explano.* Suidas, et ex eo Phavorinus: Διασαφῆσαι· ἑρμηνεῦσαι. Gloſſa enim ſumta eſt ex iſto Moſis loco. vid. Proluſſ. de vitiis Lexx. N. T. 28, 2. 9. p. 623. Sic nomen διασάφησις Gen. 40, 8. legitur apud τὰς ὁ pro Hebraico nomine פתרונים: vbi interpres Latinus vetus vſus eſt nomine *interpretatio.*

52. Heſychius: Διασαφεῖ· — ἀγγέλλει.

53. Vid. Polyb. 1, 29. 46. Matth. 18, 31. 2. Macc. 1, 20.

54. Vid. Polyb. 3, 52. 2. Macc. 1, 18.

55. Vid. Aeſchylus Prom. 260. ſ. Herodo. 1, 63. 3, 50. 6, 92. 7, 37. 159. 8, 26. 9, 89. Xen. Cyrop. 6, 3. 2.

56. Vid. Cic. 13. ep. 28, 8. Alia exempla ſunt apud Turſellinum in de particc. Lat. orat. c. 104, 4. p. 136. Facciol.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quum dissimulatores, quum fere hoc agant, atque spectent, vt iis, quibuscum loquuntur, et versantur, aegre faciant, molesti sint, noceant, vel certe eos suspensos teneant, fallant, ludant, eorumque sententiam eliciant: sane intellegi facile potest, et cur εἰρωνεύεσθαι πρός τινα hoc loco sit *cauillari cum aliquo*, *atque iocari*, quod nos in patria lingua dicere solemus *seinen Schertz*, *seinen Spass*, *mit einem haben*, *treiben*, et quare haec formula infra [57] commutata extet verbis πολλά τινι πράγματα παρέχειν. Προσποιεῖσθαι autem, quod verbum cadit in eos omnes, qui *sibi* aliquid *assumunt*, *tribuunt*, *vindicant* [58], vt in libris aliorum scriptorum [59], ita etiam hoc loco notionem *simulandi* habet, quia simulatores ea inesse sibi, atque adesse, gloriantur, quae tamen ab ipsis omnino abesse appareat. Et quum διανοεῖσθά τι dicatur *is*, *qui de re aliqua cogitat*, *cui aliquid in animo est*, *qui secum aliquid versat:* sane necesse non erat, vt verba ἐν ἑαυτῷ adderentur. Haec vero verba, permissu vsus loquendi, etiam propterea adiecta esse videntur, vt incisum ipsum numeros suos, et partes, haberet. Certe apud Liuium [60] eadem de causa scriptum legitur, *versarent in animis secum vnamquamque rem:* et quis nescit, scriptores Noui Testamenti, non modo

57. c. 39. init.

58. Vid. Neocorus in de VV. MM. 1, 54.

59. Vid. Theophrastus charr. 1, 2. 23, 5. Hesychius: Προσποιεῖται· σχηματίζεται. Suidas: Προσποιεῖται· αἰτιατικῇ· οἰκειοποιεῖται· ἢ πλάττεται, καὶ ὑποκρίνεται. Phavorinus: Προσποιεῦμαι· σχηματίζομαι, ὑποκρίνομαι, πλάττομαι. add. Thomas Mag., et ex eo Phauorinus, v. προσποιεῦμαι.

60. 3, 3. 4.

modo διαλογίζεσθαι simpliciter dixisse [61] sed adiunxisse etiam huic verbo verba ἐν ἑαυτῷ [62], ἐν ἑαυτοῖς [63], vel παρ' ἑαυτοῖς [64], et, ex Hebraica ratione [65], verba ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν? [66] Neque vero dubito, quin futuri sint non pauci, quibus sequentium verborum structura videantur non omni carere insolentia. Putabunt enim, communem eorum, vulgaremque, consequutionem debuisse esse hanc, ὡς εἰδὼς, ὅτι, εἰ αὐτὸ βούλοιτο σαφῶς εἰπεῖν, hoc est, vt ante demonstrauimus, ἀποσαφεῖν, vel ὡς εἰδὼς, ὅτι αὐτὸ, εἰ βούλοιτο σαφῶς εἰπεῖν, ποιήσειεν ἂν καί με ὁμολογεῖν. Certe verba ποιήσειεν ἂν [67], id est, *fecerit*, vt Cicero ipse [68] verba ἡδέως ἂν ἀκούσαιμι, quae paulo post leguntur, vertit *libenter audierim*, per se quidem recte referri, et ad Cratylum possunt, et ad id, quod ipse aiebat secum in animo versare. Et quanquam nosmet ipsi in eadem nuper fueramus opinione versati: tamen diligens postea, et accurata, consideratio orationis Hermogenis nos facile docuit, ab compositione istorum inciforum omnem nouitatem abesse. Sicut enim haec Cratyli simulatio

61. Marc. 8, 17. Luc. 1, 29. 5, 21. Ioh. 11, 50.
62. Luc. 12, 17.
63. Matth. 16, 8. Marc. 2, 8.
64. Matth. 21, 25.
65. Vid. Sachar. 7, 10, 8, 17.: Gen. 6, 5. coll. τοῖς ὁ.
66. Marc. 2, 6. 8. Luc. 3, 15. 5, 22.
67. Est forma aor. optat. Aeolica, quam Attici in lingua sua ita seruarunt, vt tantum sec. et tert. perf. sing. et tertia perf. plur. vsi sint. vid. Gregorius in de dialectis p. 283. f. et Etymol. M. v. τίσειαν p. 760. Sylb.
68. Legg. 1, 4. Sed *audierim*, *fecerim*, et alia huiusmodi verba, veteres iam grammatici quaerere instituerunt, praeteriti, an futuri, an vtriusque, temporis verba essent. vid. Gellius NN. AA. 18, 2. Et postrema quidem sententia videtur vera esse.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

latio auctor extitit, atque parens, totius de rectitudine nominum sermonis: sic Socrates ipse de hoc loco, rogatu, hortatuque, Hermogenis, ea disputat, quae menti, et sententiae, Cratyli, ipso profitente [69], plane respondeant. Ostendit autem princeps philosophorum, formas, et species, nominum rerum mentibus hominum natura impressas sibi videri, quae referant naturam, et proprietates, rei cuiusque, et has insitas, quasique consignatas in animis, nominum imagines in ponendo rei cuique vocabulo ita spectasse Graecos, et barbaros, vt literis eas, atque syllabis, tanquam pigmentis, conuenientibus imitando expresserint. [70] Haec igitur sunt ea, quae Cratylus simulabat se in animo secum versare. Sed ex eo, quod mentes mortalium natura insignitae reperirentur formis nominum rerum, quas literis ipsi, et syllabis, aptis reddere cogerentur, intellegi ab Hermogene poterat, primum, esse naturalem quandam nominum rectitudinem, quae posita esset in conuenientia eorum cum natura, et proprietatibus, rerum, quae iis notarentur: quo pertinent verba καὶ, hoc est, *etiam*, ἐμὲ ὁμολογεῖν· * deinde, nomina Κρατύλος, et Σωκράτης, planissime conuenire in vtriusque personam, nomen Ἑρμογένης in suam nullo modo: quo referenda sunt verba καὶ λέγειν, ἅπερ αὐτὸς λέγει. Hoc igitur est id, quod Cratylus, si plane vellet, aperteque,

69. Vid. c. 39. p. 77.
70 Vid. part. 1. p. 15.
* Gloss. vett. Ὁμολογέω — *consentio*: c. 42. p. 87. posita hoc in genere verba ξυγχωρεῖν, et ξυγχώρησις, extant.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

teque, dicere, Hermvgenem ſperabat eſſe in ſuam facile adducturum ſententiam. Etenim poſt verba περὶ αὐτȣ̃, quae ad pronomen τι, quod praecedit, vt ad totum, reſpiciunt, intellegi debet, vt iam Ficinus vidit[71], pronomen τι, quod, vt pars, coniungatur cum pronomine ὅ. Sic vero ſtructura horum inciſorum, non noua, neque inſolens, immo vſitata, rationique ſermonis familiaris conveniens, reperietur. Sed reliqua orationis Hermogenis verba alio a nobis tempore, volente deo, explicabuntur.

Conſtituerunt enim alumni diſciplinae noſtrae veterani tres, bonae ſpei adoleſcentes, IOH. IRENOTHEVS GLAVCHIVS, *Lampertiſylua Miſnicus*, IOH. ORTHOBIVS KNECHTELIVS, *Golma Miſnicus*, et IOH. CAR. SPERLINGIVS, *Seliſia Miſnicus*, exactis annis curriculi ſtudiorum ſcholaſtici legitimis, e ludo Thomano ſe in Academiam Lipſienſem ita conferre, vt ante hunc abitum ſuum vitia, quae exprobrare ſenectuti inſipientes ſolent, ab ea, praeeunte Cicerone, cuius librum, qui Cato maior inſcribitur, magno

 adhuc

71. Verſio viri Latina habet, *ſed me ludens, ſimulat, ſeſe aliquid verſare animo, quaſi nonnihil hac de re intellegat, quod ſi vellet exprimere, coeret me id ipſum fateri.* Nam pronomen τις hoc in genere ſolet, vt ab aliis ſcriptoribus: vid., praeter Boſium in de ellipſibus Graecis h. v., Perizonius ad Aelian. V. H. 10, 21. et Hemſterhuſius ad Lucian. Nigrin. p. 63. To. 1.: ita etiam ab ipſo Platone, ſaepenumero omitti: vt Cratyl. c. 43. p. 90. Σκοπῶμεν δὴ ἐξ αὐτῶν ἀναλαβόντες intell. τινά. Atque huc referri debet locus Matth. 27, 9 ὃν ἐτιμήσαντο ἀπὸ υἱῶν Ἰσραήλ· intell. τινὲς, h. e. *ſeptuagintauiri* Hieroſolymitani, quos vulgo *aſſeſſores ſynedrii magni* vocant.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

adhuc ſtudio legiſſent, oratiunculis Latinis ita defendere conarentur, vt etiam animum beneficiorum omnium, et publicorum, et priuatorum, quibus ſe plures per annos in ſchola noſtra cumulatos eſſe laeti recordarentur, memorem pii auctoribus eorum declararent. Hos igitur oratores tres, quibus ſe, volentibus nobis, ſocium adiunxit diſcipulus claſſicus in primis probus, CHRISTI FRIDER. BVDENSIGIVS, *Sundhuſa Thuringus*, vt praeſentiae ſuae ſplendore ornare, audientiaeque fauore incitare, velint Patroni ampliſſimi, et grauiſſimi Curatores, et caeteri Euergetae praeſtantiſſimi, ſcholae Thomanae omnes, eos omni, qua par eſt, humanitate, et ita, rogamus, vt confirmemus, nos huius noui beneficii, beniuolentiaeque documenti, honore prouocatos hoc extremum quoque aetatis noſtrae tempus omne vnice eſſe in animis adoleſcentium ingenuorum cupiditate bonarum literarum omnium, omniſque virtutis ſtudio, vel incendendis, vel inflammandis, conſumturos. Scripſimus Lipſiae in Schola Thomana a. d. XVI. Kalendas Maias A. C. CIↃIↃCCLXXXXIII

LIPSIAE

EX OFFICINA SOMMERIA

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf